



**S**anctus Ursus & Victor cum quibusdam socijs  
 Thebanę legionis milites fuerunt, qui post cru-  
 delem eius legionis cum Matritio duce cedē, que  
 Agauni Vallesiorum à Maximiano Cæsare facta  
 est, euaserant, atq; Soloduri peruererant, speran-  
 tes sanguinolentum Cæsaris animum sociorū san-  
 guine latiatum esse. Erat autem tum Hirtatus ijs in  
 locis Romanorum Cæsarum præfectus. Huic ita-  
 que Maximianus in mandatis dedit, ut reliquias  
 eius legionis ad sacrificandum dijs impelleret, aut  
 suprema poena afficeret. Propterea Hirtatus Ur-  
 sum cum suis socijs in captiuitatem collocauit, at-  
 que ad sacrificia impia Mercurio Deo eius loci pa-  
 crono, cogere statuit, cum autem illi neq; minis necq; blanditjjs eò pertrahi po-  
 tuerunt, præfectus eius loci eos paulo supra Solodorum, Anno circiter 304,  
 ultimo suppicio affecit. in quo etiam uera fide pīj martyres constanter perse-  
 uerarunt. Victoris corpus postea à Domitiano Episcopo Geneuam transla-  
 tum, atq; in templo S. Victoris sepultum fuit. S. Ursus uero Solodori condi-  
 tus requiescit. In eius honorem postea Vuerthada mater Caroli Magni, An-  
 no Christi 800, celebre templum ædificauit, atq; S. Ursi ossa sub maiori altari  
 collocari in lapidea arca iussit, cum argentea lamina, quæ talē inscriptionem  
 habebat: Conditur hoc tumulo sanctus Thebaidus Ursus. Cum enim alta-  
 re illud, Anno 1519 renouaretur, arca illa inuenta est. Stumpff, Monst.3.